

validaque, et solito inter accolas odio, infensa Judaeis
Arabum manus: multi, quos urbe atque Italia sua quemque
spes acciverat occupandi principem adhuc vacuum. His cum
copiis fines hostium ingressus, composito agmine, cuncta
explorans, paratusque decernere, haud procul Hierosolymis
castra facit.*

II. Sed, quia famosae urbis supremum diem tradituri
sumus, congruens videtur, primordia ejus aperire. Judaeos,
Creta insula profugos, novissima Libyae insedisse memorant,
qua tempestate Saturnus, vi Jovis pulsus, cesserit regnis.
Argumentum e nomine petitur: inelytum in Creta Idam
montem, accolas Idaeos, aucto in barbarum cognomento,
Iudeos vocitari. Quidam, regnante Iside, exundantem per
Aegyptum multitudinem, ducibus Hierosolymo ac Iuda,
proximas in terras exoneratam: plerique, Aethiopum prolem,
quos, regē Cepheo, metus atque odium mutare sedes
perpulerit. Sunt qui tradant, Assyrios convenas, indigum
argorum populum, parte Aegypti potitos, mox proprias urbes,
Hebraeasque terras, et propiora Syriae coluisse rura. Alii
Iudeorum initia, Solymos, carminibus Homeri celebratam
gentem, conditae urbi Hierosolymam nomen e suo fecisse.

III. Plurimi auctores consentiunt, orta per Aegyptum
tabe, quae corpora foedaret, regem Bocchorim, adito Ham-
monis oraculo, remedium petentem purgare regnum, et id
genus hominum, ut invisum Deis, alias in terras avehere
jussum. Sic conquisitum collectumque vulgus, postquam
vastis locis relictum sit, ceteris per lacrimas torpentibus,
Mosen, unum exsulum, monuisse, ne quam deorum homi-
numve opem exspectarent, utrinque deserti, sed sibi met, ut
duci caelesti, crederent, primo cujus auxilio (credentes)
praesentes miserias pepulissent. Assensere, atque omnium
ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil aequa, quam inopia